



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXLIII. De Vastatione terrae Poloniae, & nece, & captivitate
multorum millium Christianorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneke de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

rent. Sed dum videret communis populus, quod principales hujus sceleris essent continuè cum fratribus in comitium, mensa, & aliis solatiis, timuit valdè, & suam malitiam detectam nihil mali audebat in fratres ulterius machinari, sicque fratres salvi DEI gratia sunt reversi. Ecce quomodo angustia fratribus erant undique, sed Deus quo in se sperantes non derelinquit, ipsos de hujusmodi tribulationibus misericorditer liberavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Eodem modo legit Strykovius: alii autem veteres *Zufestwert*.

CAP. CCXLIII.

De

Vastatione terræ Poloniae, & nece, & captivitate multorum millium Christianorum.

Eodem anno Vithenus Filius Regis Lethoviae cum octingentis viris intravit terram Poloniae, & in die Pentecostes, dum in Ecclesia (a) Linikensi Canonici & ministri altaris & alii Clerici cum solempni ornatu essent in Processione, irruit hostiliter in eos, & in Ecclesia CCCC. homines Christianos trucidavit, Clericos & Prælatos, quos voluit, captivos secum duxit, omnem ornatum, calices & vasa Ecclesiae ad illicitum usum pertrahebat, in contemptum DEI. Ecclesiam cum sacramentis redegit in favillam, depopulatâque terrâ circum adjacentem factâque maximâ strage in populo DEI, tantam multitudinem deduxit captivam, quod cuique Lethovino in divisione cesserunt XX. homines Christiani. Quo facto dum recederent, Casimirus Dux Poloniae dolens de suorum interitu, cum mille & octingentis viris sequutus est eos: quod dum perciperet Bonislaus Dux Masoviae

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ordinis Teut.
Meneke de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

fovia nescio quo ductus Spiritu treugas inter Christianos & infideles ad certum terminum ordinavit, infra quos dum Poloni nihil timentes officiis vacarent, Lethovvini rupto Treugarum foedere, irruerunt in eos, & Casemirum Ducem & totum Populum peremerunt, præter unum militem, qui evasit solus, ut hæc aliis nunciaret.

ANIMADVERSIONES

- (a) Lancitensi legit Exemp. Elbingense. Lancitia verò est oppidum majoris Poloniae.
(b) *Treuga* est vox barbara, & significat illorum temporum scriptoribus idem, quod pax seu induciæ à Germanico *Trewe*. Vid. Vossius *lib. 1. de Vitiis Serm. Lat. Cap. 1. pag. 4. & lib. 2. cap. 18. pag. 313.*

CAP. CCXLIV.

De

*Mirabili evasione Christi fidelium de
manibus infidelium.*

HO anno circa festum B. Jacobi Apostoli frater Conradus Stango Commendator de Raganita cum paucis fratribus & armigeris ivit versus castrum Junigedam, præmittens nuncium, ut investigaret statum Castrensiū; qui cum festinatione reversus ait, totum Campum & Castrum cum suburbio pugnatorum potentiā plenum esse. Hoc audito, fratres & alii consternati mente dixerunt; ergò evadere ipsos non possumus, quid ergo faciemus? Respondit Commendator, confortans eos verbis Judæ Machabæi, dixit: Facile est concludere multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu DEI coeli liberare in multis aut in paucis; quia non in multitudine exercitus victoria, sed de cœlo fortitudo est. Pertranseamus ergo eos viriliter & Dominus liberabit nos; quod consilium placuit omnibus.